

dranæ, & Soirani, & Canellarum, & quæ ad illas pertinent. Præterea eodem anno, & die huic venditioni accessit & D. Henricus Danifus suo, & nomine Jacobi fratris distrahendo reipublicæ Alexandrinæ quartam partem Garbazolæ cum medietate Turris, portionem suam Turris Lavazoli, villæ, & castri s. Martiani, & Moaschæ, ad id præterea, quod in cortile Canellarum habebat, pretio librarum numerato septuaginta sex.

(1) *Dedi illas par. I. doc. 154. 155. 156. col. 10 169. & seq. sub ann. 1219.*

(2) *Sequentes chartas vide relatas par. I. doc. 170. col. 167.*

MCCXIX. Cum respublica in præstiti juramenti transgressionem incidisset, quod censum annum Romanæ Ecclesiæ non exsolvisset aliquot interjectis annis, quodque adversus Regem Siciliæ arma sumpsisset, illa Rainaldum Trattum, idest Trottum (Trattum enim legitur), ac Ghisulphum Acerbum ad Pontificem destinavit, & ad ejus Delegatos, ut abolitionem ipsorum obtinerent; quæ obtenta fuit die undecimo martii, & Alexandrini restituti, receptique sub Romanæ Ecclesiæ protectione sunt; hoc adjecto, ut nullis amplius adhærerent, quinto decimo calendas decembris anno tertio sui Pontificatus.

MCCXX. Senatus, Populusque Alexandrinus die decimoquarto martii, ut quantum fieri posset per hominum memoriam conservaretur id, quod dignum omni memoria a republica ipsa gestum erat, & ne beneficiorum memoria in rempublicam collatorum intercideret, sanxit, ut Petrus Ferrarius reipublicæ Cancellarius leges Municipales quasdam observatas diligenter per rempublicam excrimeret ad æternam rei memoriam, inter quas reperta fuit lex illa, quæ summam redolet gratiam, & liberalitatem in benemeritos de urbe Alexandrina. Eodem anno ad Honorii III. Pontificis Maximi petitionem, qui premebatur a Federico II., cum Mediolanensibus, Laudensibus, Novariensibus, Placentinis, Derthonensibus, Mantuanis, Brixiensibus, Veronensibus Alexandrini fœdus iniverunt, Legato Henrico Agagnino, qui postea Gregorius IX. fuit nuncupatus. Eodem quoque anno divus Franciscus Assisensis sanctitate, & religione plurimum florebat, & Alexandriam venit, quo etiam tempore nonnulla miracula in urbe edidit.

MCCXXI. Ingens terræmotus hoc anno auditur in civitate Alexandria in die Natalitio Domini Nostri Jesu Christi.

MCCXXIV. Alexandrini, cum Genuenses in ea adhuc persisterent sententia, ut recusarent Capriatæ oppidum, quod distat a civitate Alexandria quatuordecim miliaribus, restituere; sed illud unacum Arquato castellum per vim retinerent, arbitros elegere communes; sed cum res non succederet, vim adhibere conati apud Peretum contra Genuenses impressionem fecerunt; sed iterum Alexandrini cum Vercellensibus, Derthonensibus, & Mediolanensibus ex antiquo fœdere Capriatam adorti, agrum longe, lateque devastarunt. Cæterum a Capriatæ castro, quod omnium rerum necessariorum copia bene instructum esset, retrocedere coacti sunt. Ac

Genuensis respublica ab illius Prætore diu maximo comparato exercitu, adhibitis etiam multis extraneis militibus Gavium oppidum, & Montaldellum adoriuntur, quæ ad fundamenta diruta sunt; Genuam mox cum multis captivis, quos in Montaldello ceperant, redierunt. Sed Alexandrini cum confœderatis Tassarolum vi expugnant, illudque incendio absumunt; dein una cum Derthonensibus Arquatum machinis bellicis adorti sunt. Tandem quia fama erat Genuensem Prætorem adventare, & jam Voltagium advenisse, & ne minores copię cum majoribus congraderentur, illud deseruerunt. Eademque causa Genuensis respublica onus viginti solidorum civibus indixit pro singulo quoque centenario super mobilibus bonis unius denarii cum dimidio præter onus armorum, & equorum personis omnibus indictum, præsertim his, qui per ætatem, vel per alias causas excusabantur.

MCCXXV. Conflictum fuit Albaritio Maretino Prætore apud Vallem Quatuordarum, & Calamandranæ cum Astensibus, qui in excidium Alexandrinæ civitatis cum Papiensibus fœdus percusserant, & hac de causa usque ad portas civitatis longe, lateque omnia ferro, & igne per agrum vastarunt.

MCCXXVI. Die decimaquinta mensis julii ad Genuensium postulationem Astenses iterum in Alexandrinos arma moverunt maximo cum exulum numero; sed Alexandrini majore illorum parte trucidata, omnibusque profligatis, centum illustri nominis capiunt, alii in Quatuordarum castrum abire coacti, quos Alexandriam traduxerunt una cum quinquaginta obsidibus, quos Mediolanensibus dederunt, & ita carceri inclusi Alexandria per annos duos cum dimidio retinentur. Eodem quoque anno die septimo septembris Astenses iterum apud Calamandranam profligantur, & maxima exercitus pars occubuit, octocentum capiuntur, ac carceri traduntur, ubi per longum tempus permanserunt; ex quo bello Astenses ducentum mille librarum damnum perpeffi sunt. Sed ea re permoti Alexandrini, quod fœdus ab Astensibus initum cum Genuensibus viderent, & ipsi machinas adversus Genuenses una cum confœderatorum manu moverunt. Quare hoc eodem anno re tractata cum Petro Bono ex Gavio Oppidano prædivite, cujus integritate universitas plurimum fidebat ita, ut portarum claves oppidi illi custodiendæ permitterentur, is Alexandrinis, & Derthonensibus oppidum dare tentavit, cujus proditio cum detecta fuisset, irritum Alexandrinorum conatum fecit, qui cum benemunitum oppidum, satisque firmum cernerent, re infecta recesserunt. Quod cum rescivissent Genuenses calendis maii Oberto Advocato Prætore, & Petro Vento reipublicæ Genuensis Ducibus Capriatæ delectum habuerunt, statimque cum expedita militum manu Derthonensium fines ingressi, Præcipianum vi ceperunt, captumque everterunt; quod cum rescivissent Alexandrini eo maxima vi contendunt, quos onustos ingenti præda interficiunt, prædamque omnem ereptam confœderatis suis restituunt viginti septem gravis amaturæ militibus desideratis, inter quos duodecim cives Genuenses, cæteri Gavium celeri fuga vitæ suæ con-